

bardæ vocantur, ignem excitant, pyrite duro & læuigato, vti solent filicis aut iaspidis vice: sed pyrites ad excutiendum ignem, quem puluis compræhendat, omnium est utilissimus. Reperiuntur autem pyritis non tantum frustra, sed & massæ, qualem nos habemus quæ fluorum candidorum plena est. Pyritis vsum esse in medicinis, Trallianus scribit, vbi agit de morbo cœliaco: sed id tantum intelligendum de eo, ex quo æs excoquitur, diligentius explanat Dioscorides.

Hæc metallis adiecta sunt de pyrite, quia ferè alicuius metalli partem in se continet: quæ licet rarò oculis dijudicetur, tamen igne depræhendî aut agnosci ab artifice potest: interdum etiam si per dies aliquot imponitur aquæ, eius saporem si mutat, aut tingit, cuius metalli aut succi foecundus est, coniectura ducitur.